



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

III. Responsales nullam partem jurisdictionis attingebant, nisi ex delegatione speciali. Ejus duplex genus, à Principe nimirum, aut à Summo Pontifice. Prioris exemplum, sub Mauricio Imperatore; ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

torem, non autem proprio nomine litigare. Quod soli Augustæ communicatur.

III. Jurisdictionis autem nullam partem attingebant Responsales, nisi ex delegatione speciali, quæ aut à Principe fiebat aliquando, aut à Summo Pontifice. Prioris generis est delegatio Honorati Diaconi & Responsalis, cui Mauritus Imperator mandavit, unâ cum Sebastiano antigrapho, iudicium appellationis quam Hadrianus Episcopus Thebanus interposuit ad Principem à sententia Larissæ Metropolitanæ. Posterioris extat illustre exemplum in cognitione Pauli Alexandrini, cui præfuit Pelagius Apocripharius ex mandato Vigilij Papæ, cum literis & consensu Iustiniani, de qua dictum est superius cap. XVI. §. v. hujus libri. Aliud exemplum hujus delegationis legitur in regeſto Gregorij Magni. Hadrianus Episcopus Thebanus, provinciæ Theſſaliæ, à Pelagio II. Pontifice obtinuerat ut à Ioannis Episcopi Larissæ Metropolitanæ sui, sibi graviter suspecti, jurisdictione eximeretur. à qua tamen in Hadrianum exercenda Ioannes non cessavit. Quam illi audaciam Gregorius Magnus exprobrat, ejusque contemptum communionis abstentione vindicari potuisse docet. Tamen nos, inquit, humanius decernentes, communionis que tibi sacramentum interim conservantes, decernimus ut fraternitas tua ab eo Ecclesiæque ejus omnem antehabite sue potestatem jurisdictionis abſtineat, & secundum decreta decessoris nostri, si qua caussa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria adversus præſatum Hadrianum consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel per eos qui nostri sunt vel fuerint in urbe regia Responsales, si mediocris est que estio, cognoscatur, vel huc ad apostolicam sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostre audientie sententia decidatur. Ex hoc loco constat mediocres causas, id est, minoris momenti, minusque ambiguas, Responsalibus delegatas; eo tantum casu quo Episcopi à perveracis Metropolitanæ jurisdictione exempti erant, quod nonnisi rarissimè contingebat.

## ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

IDEO Gregorius causas provinciæ Theſſaliæ ad se traxit, quòd Illyricum, in quo sita erat hæc provincia, apostolicæ sedis auctoritati patriarchicæ subiectum esset; ut probatum est in cap. v. §. 111. libri primi. Sed nuper in lucem emissa est ab Holstenio synodus Romana post consulatum Lampadij & Orestis habita à Bonifacio II. Papa, in qua Theodosius Echinienſis civitatis Episcopus Theſſaliæ provinciæ dixit: *Nam constat venerandos sedis*

*vestra Pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, & solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi sue Illyrici Ecclesias vindicasse.* Tum profert epistolas præteritorum sedis apostolicæ Pontificum, Damasi, Siricij, Innocentij, Bonifacij, Celeſtini, & aliorum, quæ docent Illyricum sedis apostolicæ constitutum paruisse, easque in Concilio reſegi postulat ex ſcrinio Ecclesiæ Romanæ, quod & factum est. In libello verò Stephani Episcopi Larissæ, quæ Theſſaliæ metropolis est, dato ad eundem Bonifacium Papam, & in hac Romana synodo recitato, legitur: *Apostolicam sedem, id est, vestram beatitudinem, causas nostre provinciæ & audire convenit & finire.* Sed de potestate & auctoritate Summorum Pontificum in Ecclesiis Illyricianis plura dicturi infra sumus in ſupplemento istius libri, cap. XIX. & ſequentibus.

## CAPVT XVIII.

## Synopſis.

I. Responsalium usus in urbe regia deſervit occasione hæreſis Monothelitarum.

II. Conſtantinus Pogonatus eorum usum reſtituere procuravit. Sed liberam legationem poſtulavit. Ejuſ petitioni ſe Leo II. accommodavit; non tamen conceſſa plene legationis auctoritate. Prudenter id factum, ut machinationibus Patriarcharum Conſtantinopolitanorum iretur obviam.

III. Proviſum id quidem ſapienter fuerat, ſed parum ſelici eventu. Quippe Legati apoſtolice ſedis in laqueos inciderunt in ſynodo Trullana; cujuſ canones repudiat Sergius Papa. Baſilius Goryne Metropolitanus ſe illic inſcripſit Legatum totius ſynodi Eccleſiæ Romanæ. Legatio ejus explicatur.

IV. Baſamo contendi eam ſynodum fuiſſe Oecumenicam, quòd ei Legati ſedis apoſtolice interſuerint, quos recenſet. Ejuſ impoſtura detegitur. Quid ſi charta pura que in ſubſcriptionibus Conciliorum reliquæbatur Episcopis abſentibus. Anaſtaſius Bibliothecarius illuſtratus.

V. Romani Pontifices prorsus abſtinuerunt à mittendis Conſtantinopolim Apocriſtariis poſt ſeculum ſepimum. Imperio tandem ad Francos translato, Legatorum magna fuit aſſiduitas & mora in eorum comitatu. Illo mittendarum legationum officio Romanam ſedem abſolvit Carolus Calvus.

I. RESPONSALIUM usus in urbe regia deſervit occasione hæreſis Monothelitarum: quæ à Patriarchis Conſtantinopolitanis Sergio, Pyrrho, & Paulo publicata, & ab Heraclio Imperatore Etheſeos ſuæ promulgatione & à Conſtante Typi editione fota, Severinum, Ioannem quartum, Theoderum, & Martinum Pontifices ad damnandam impietatem illam provocavit. Graviffimo itaque in Romanam Eccleſiam odio perciti Conſtans & Paulus, Apocriſtarios apoſtolice ſedis à Theodoro miſſos Conſtantinopolim ad inſinuandam Typi & novæ hæreſeos damnationem, & revocant-

Idem lib. 1.  
ep. 46.

S. Gregor. lib. 1.  
Ind. 11. epist. 7.